

1537
Gabriel Ri-
pa copiarum
Jaderina-
rum præ-
fetus.

Nicolaus
Bondimerius
sinus A-
driatici
præfetus.

obroatum
a Venetis
invaditur.

Gabriel
Ripa capite
damnatus.

Senatus de-
cretum de
Corcyra
munienda.

Paulum Vendraminum, triremium præfectos, ad Obroatium oppugnandum misit. Extat oppidulum illud cum arce a mari sex passuum millibus: Argyrutm priscis fuisse fertur: inde Turcæ Uscochis conjuncti cum vicina loca, ac maria latrociniis, & cædibus infesta reddidissent, tutum ibi perfugium & receptum habebant. Quapropter ab Jadera exiguo illius maris sinu circumvehi copias jussit, Gabrielemque Ripam, Veronensem, copiarum præfectum, cum sexcentis navalibus sociis, ac viginti-octo triremium remigibus ad oppidum oppugnandum mittit. Nicolao quoque Bondimerio, sinus Adriatici præfecto, mandat, ut cum biremibus nonnullis, ac triremibus, quibus tormenta bellica ad verberanda mœnia opportuna conveheret, præsto es- set. Veneti oppidum adorti peracre certamen cum hostibus iniere, qui cum paucitatem virtute, ac fortitudine superarent, pugnam intrepide sustinuere, donec fessi, pristino ardore remisso, oppido nostris relicto, in arcem se recepere. Quoniam ve- ro, muralibus tormentis nondum in terram expositis, majore ni- xu quaterere oppidum non poterant, minutisque pilis nihil pro- faciebatur, Vituriumque statim Corcyram petere Senatus jusse- rat, Ripæ nuntiandum curavit, ut nisi quamcelerrime arcem in suam potestatem redigere posset, oppido, ac suburbis incensis, ad se regrederetur. Duas ob id triremes ad milites excipien- dos misit, qui cum terrestre iter per aspera montis juga ha- bere maluissent, superventu Amurathis, qui cum triginta Tur- cis equitibus arce exierat, ac tumultuariam Uscochorum pedi- tum manum sibi adjunxerat, in fugam conjecti, cæsi com- plures, multi capti fuere. Gabriel Ripa, consenso equo, cum nullum neque ducis, neque militis officium præstisset, turpi fuga salutem quæsivit: inde cum a Pesareo Senatus decreto de militari crimine quæstio haberetur, haud multo post in ipsa præ- toriae prora capite poenas dedit. Sed nihil æque ea tempestate Patrum animos extimulabat, quam ut Corcyra insula, quæ jam barbarorum conatus, & vires felici eventu experta fuerat, ita in posterum muniretur, ut si Suleimani animum illius de- nudo invadendæ cupidio incesseret, pro fortissimo Italiæ muro objiceretur. Urbinatum Ducis, cui Antonius quoque Tifernas ad stipulabatur, ea erat sententia, ut quamprimum oppido ad- jacentia loca diruerentur, ac mons, quem Castratarum vocant,